



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas**

**Antverpiæ, M.D.C XXX III.**

S. Godefridvs Episc. 8. Novembris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

supplicavit, facultatem ob id nactus mira (quæ innumera sunt) patranda. Sub idem ferè tempus lunæ geminam alteram lunam cœnobita vidit gladio insignem, ne dubitaret orbis, sideribus novum sidus ENGELBERTVM additum. *Ex Surio.*

S. GODEFRIDVS EPISC.

8. Novembris.

**C**œpit GODEFRIDVS in tempore (quinquennis utpote) ad sanctitatem inter cœnobitas conniti, Musis juxta & pietate succollantibus. Anno ætatis XXVI. Abbas, inde Pont. Ambianensis mirum est quàm benignum se miseris exhibuerit, tredecim quotidie de his epulo solitus excipere, ablutis suâ manu eorum pedibus; nihil utique alienum à summâ dignitate existimans, facere, quod prior Pont. Max, Christus fecisset. Et fortè bene magnum, & qui culinæ unicus superabat, piscem inde ipse asportaverat, donum leprosis stipem rogantibus. Ei rei cùm absens tunc succenseret postea Oeconomus, illud modò respondit GODEFRIDVS: *etiam atq; etiam videret, illène abundaret, an pauper Christus esuriret rectius?* Et verò ut hunc regeret, non dubitavit suis laciniis summâ hyeme se spoliare, & mendicabulum his ditare, ipse contra frigora hâc unâ cha-

charitate satis armatus. Iam clemencia in subditos illud sit argumentum, quod ad tyrannum, quem ob scelera templo proscriserat, per maxima itinera excalceatus contendit, & ad facinorum detestationem reum supplex in genua Iudex invitavit, quin tunc etiam contumacem nihilominus captivum postea in libertatem asseruit. Quod tamen cives Ambianenses monita ejus vel negligenter, vel contemnerent etiam, igneos urbi exercitus imminere vidit, interitum hujus, ut D. Firminus GODEFRIDO vaticinatus est, portendentes, qui non multo post reapse delapsis caelo flammis est infecutus. Nos, ne caelo DEVS ignes, oculis lacrimas recte pluemus. *Ex Sur.*

MEMORIA CRUCIFIXI BERYTHENS. 9. Novembris.

Nimirum facile CHRISTO cum Carpo hodie credemus, velle illum iterato pro nobis mori, si modo vivere nos velimus. Berytus civitas est Tyro & Sidoni contemina. In hac sub annum DCCLXV. habitare inter spinas lilia, hoc est inter Hebraeos Christianos vidisses. Et forte Christianus adibus suis Iudaeo cessit alioque migravit, oblitus secum ferre nobilissimam & ab omnibus retro majoribus acceptam here-